



Wd. 40.





5
4

DE
CIVITATVM IMPERII IVRIBVS MI-
NORVM IVSTE RESTRINGENDIS

PRAEFATVR

ET

SOLENNIA INAUGVRALIA

CLARISSIMI ET DOCTISSIMI

IOANNIS DIEDERICI GRIESII

HAMBVRGENSIS

I N D I C I T

ANDREAS IOSEPHVS SCHNAVBERT, D.

P. T. ORDINIS IVRID. DECANVS.

IENAE,

EX OFFICINA FROMMANNI ET WESSELHOEFTII

MDCCC.

DE
CIVITATVM INTERIVTIVBVS MI-
NORVM IVSTIS RESERVINGENDIS

TRACTATVS

ET

SOBRIETATE INAVGVRATA

CLARISSIMI ET DOCTISSIMI

IOANNIS DIEDERICI CRISTII

IN DICTA

ANDREAS JOSEPHVS SCHNABERT, D.

LENAE,

EX OFFICINA FROHMANNI ET WESSELIHORSTII

MDCCLXXXIII



liberis Imperii civitatibus Superioritatem territoriorum
eodem valore interno competere, quo illi Imperii
status eadem habent, in legibus Imperii dicitur locum esse
Castorum cum civitates universitates hinc, ex primis ca-
runt forma Populus civium Imperii, cui possit appella-
tio Municipalis, Consilium et Senatum, ex imitatione re-
pudum Imperium, et Imperatorum privilegia, consilia, ad
iura civitatis, et dicitur etiam regalia episcopi exercenda
operandae officia eius in his locis vel retenta est (b). Cum
vero collegium hoc iuris status Imperii aut principis ter-

Civitates imperii, ceu *universitates*, quadantenus *minores*
haberi, jureque minorum judicandas esse, inter omnes jam-
jam receptum est; cavendum tamen esse, ne jus hoc, in-
definite et nimis generaliter, uti hactenus factum est, asser-
tum, in praedictum Superioritatis, liberis imperii urbi-
bus, ex legibus fundamentalibus, competentis, plus aequo
extendatur, easque inter aliosque status imperii superiores
in regimine earum *generatim* inde ratio differentiae repeta-
tur, quibus facile existimabit a).

*) Conf. inter alios E. C. Westphal Teutsches Staatsrecht 14. Abh. 7.
Roth. Staatsrecht deutscher Reichslande 1 Th. S. 150. Malblanks Abh.
aus dem reichstädtischen Staatsrechte Num. 3. Pütteri instit. iuris publ. §.
210. not. d. Edit. 1792. Quaedam minorum jura, ad civitates imperii adpli-
canda, occasionem dedisse videntur Jurisconsultis, generatim eas minores haben-
di, easque jure minorum etiam respectu imperatoris uti, indefinite statuendi.

Liberis Imperii civitatibus Superioritatem territorialem eodem valore interno ambituque competere, quo alii imperii status eadem gaudent, in legibus Imperii diserte sancitum est. Caeterum cum civitates universitates sint, ex primaeva earum forma Deputatio civium perpetua, cui postea appellatio *Magistratus, Consulium et Senatorum*, ex imitatione urbium italicarum, et imperatorum privilegiis, contigit, ad jura civitatis, et deinceps etiam regalia ejusdem exercenda, obeundaque officia ejus, in iis lecta vel retenta est b). Cum vero collegium hoc ipsum status imperii aut princeps territorialis non sit, sed, ex civitatis forma, collegium tantum administratorium jurium et obligationum, comunitati civicae competentium, constituat c), quaelibet imperii civitas in

b) Grambs diff. de habitu liberarum S. R. I. civitatum, imprimis liberae S. R. I. reip. Moenofrancof., erga suprema imperii tribunalia. Cap. I. Gief. 1780.

c) Leges Imperii, superioritatem civitatum imperialium stabilientes, non de magistratu, sed de civitatibus, cetera regalium subjecto, loquuntur. J. P. O. art 5. §. 29. Liberae imperii civitates prout omnes atque singulae sub appellatione statuum imperii.. indubitate continentur. Art. 8. §. 4. Liberis imperii civitatibus.. rata et intacta maneant regalia etc. Quod civitates se ipsas non in Corpore et conventibus regant, sed regimen magistratui exercendum delatum sit, ad specialem formam civitatum pertinet. Recte igitur judicium imperiale sulicum anno 1746. magistratui Moenofrancofurtenfi. rescriptit: Ilro Kay-

ea conditione est, ut res ejus per administratores regantur, et eatenus minoribus, aliisque, qui sub tutela vel cura degunt, accensenda, horumque juribus judicanda sit.

Consequitur inde *primo*, civitatibus imperii per negotia Magistratus, aliorumque forte etiam deputatorum civicorum laesis, secundum vulgatum: *quidquid regitur per administratores, id restituitur*, beneficium restitutionis in integrum, ab ipsis imploratum, denegandum non esse d).

ferl. Majestät würden zwar... Frankfurth bey ihrer superiorit territoriali schützen, befehlen hingegen dem Magistrat, sich den Ständen des Reichs nicht gleich zu achten, sondern wie er in der That nichts anders ist, als ein Collegium solcher Männer, die auctoritate caesarea von der Bürgerschaft erwählt worden, nicht jure proprio zu regieren, sondern als bestellte administratores dem gemeinen Wesen vorzustehen etc. Caeterum cum magistratus non sit nudus, et ad nutum civium revocabilis mandatarius: hoc sensu etiam regimen civitatis, jure proprio exercendum, ei negari nequit; sicque hoc rescriptum cum aliis rescriptis et conclusis, in quibus magistratus die von Gott und Kayserl. Majestät verordnete Obrigkeit adpellatur, conciliandum est. Adeo in Capitulat. (1790.) Art. 19. §. 7. legitur: in den Reichsstädten die Bürger oder deren Anschüsse wider ihre Obrigkeit. Add. Majers weltl. Staatsr. 3 B. pag. 49. Reufs Ded. u. Urk. Samml. 3. B. p. 275. et solidissima Kenzii diss. de nexu inter magistratum ac cives civitatum imperii fundamento ac effectu. Goett. 1779.

d) L. 4. C. ex quib. caus. maior. L. g. C. de jure reip. Mejeri colleg. argent. lib. 4. tit. 4. §. 105.

De jure hypothecae tacitae in bonis administratorum, cum civitibus imperii jura fisci competant, quaestio nulla est.

Porro inde fluit in omnibus casibus, in quibus tutorum et administratorum rerum minoris negotia et contractus, decreto de alienando et confirmatione tutelae superioris indigent, ut puta in alienationibus bonorum juriumque, eorum oppignorationibus, transactionibus etc., tutelae quoque sublimi caesareae in civitatibus imperii locum esse, in iisque confirmationem caesaream a iudicio imperiali aulico, cum hic de speciali imperatoris reservato sermo sit, interponendam requiri e).

Caeterum vero civitatum imperii qualitas minorum nulla lege aut analogia legis nititur, nec ecclesiam aut rempublicam in genere ulterius juribus minorum censemus, potius civitates imperii inspectioni, tutelaeque supremae caesariae generatim non magis, quam status imperii reliqui, eorumque territoria, subjectae sunt, eamque tum demum, ubi illa in territoriis superioribus exerceri ab imperatore potest, in civitatibus imperii, per leges imperii fundamentales, exerceri fas est.

e) arg. tit. ff. de reb. eor., qui sub tut. vel cura sunt. sine decreto non al. Add. J. J. Mosers Tr. Von der Reichsstadt. Regiments-Verfassung pag. 374. seqq. Lex 3. C. de vend. reb. civit., secundum quam, si quae ad inclytam urbem pertinentia contigerit venundari, non aliter, nisi imperiali auctoritate, vendantur, ad civitatem imperii tam parum, ac haec Roma aut Constantinopolis in Germania haberi nequit, pertinet.

Enimvero status omnes et singuli in antiquis suis juri-
 bus, libero juris territorialis tam in ecclesiasticis quam po-
 liticis exercitio, ditionibus, regalibus, horumque omnium pos-
 sessione ita stabiliti firmitque sunt, ut a nullo unquam
 sub quocunque praetextu de facto turbari possint vel
 debeant f). Speciatim cautum est g), ut liberis imperii civita-
 tibus rata et intacta maneant regalia, vectigalia, redditus an-
 nui, libertates, privilegia confiscandi, collectandi, et inde de-
 pendentia aliaque jura.

Porro imperator pro conservandis statuim imperii juri-
 bus dilerte fidem interposuit, verbis: *Wir wollen weder den
 Reichsgerichten, noch sonst jemanden gestatten, das den Stün-
 den in ihren Territoriis, in ihren Landeshoheits- und Regie-
 rungs- besonders in Religions- Polizey- Cameral- Militär-
 Justiz- Lehns- Criminal- und Gnaden- Sachen sub quo-
 cunque praetextu wider die Reichsgesetze, den Friedens-
 schluss oder aufgerichtete rechtmässige und verbindliche pacta
 vor- oder eingegriffen werde h).*

f) I. P. O. Art. 8. §. 2.

g) I. P. O. l. c. §. 4.

h) Capitulat. noviss. Art. 2. §. 8.

Colligitur inde, imperatori non solum non licere, juribus territorialibus statuum eorumque exercitio, sub ullo praetextu, reservati nimirum caesarei etc., praesudicium inferre, aut eorum possessionem turbare, sed etiam superioritatis territorialis exercitium imperatoris confirmatione nequaquam indigere. Profecto status imperii, in regimine territoriali perpetuo minores, et sub perpetua tutela imperatoris, cujus consensus et confirmatio ad suppleendam eorum aut administratorum et officialium eorundem potestatem necessarius sit, existentes cum legibus imperii allegatis nullo modo conciliandi sunt.

Cum vero liberae imperii civitates omnes atque singulae sub appellatione statuum imperii non tantum in pace religionis et ejus declaratione (pace westphalica), sed et alias indubitate contineantur i), nec minus imperator constitutionibus civitatum imperii in specie prospexerit, spondens in Capitulatione k): *Wir wollen auch besonders die Städte bey ih-*

i) I. P. O. Art V. §. 29.

k) Capitulat. noviss. Art. I. §. 3. Malblank l. c. pag. 192. seqq. §. 10. 21. pag. 116. §. 24. Caeterum, quae hic à V. C. proposita sunt, ex principiis solidis juris publici facile dijudicari possunt. Nec casus quo limites inter potestatem magistratus et jus concurrenti senatus majoris aut deputatorum civicorum controversum ex praesente urbis formula, ejusque legibus fundamentalibus erui non possunt, adeoque, arg. l. 2. §. 1. ff. fin. regund., pro aequo et bono a iudice determinandi sunt, exclusus est.

ren wohlhergebrachten Verfassungen und gesetzlichen Regierungsformen handhaben, ohne darin willkürliche Veränderungen zu machen, noch zu gestatten, extra omne dubium est, imperatori in urbibus imperii generatim non majorem, ac in aliis statuum territoriis, potestatem reservatam competere.

Nec obstat primo, quod magistratus civitatis ipse status imperii non sit, sed jura superioritatis, ex forma civitatis, tantum administret; cum magistratus a civitate ipsa jam antiquitus lectus, et hoc ipsum jus munerum publicorum et honorum inter insignia superioritatis territorialis jura numerandum sit, porro etiam magistratus, vi officii publici, regimen civitatis exerceat, adeoque pro eo in singulis casibus, secundum praecepta jurium communium eorumque analogiam, sit praesumendum, quod bonum publicum promovere, ipse scopus et labor sit 1). Accedit, quod imperator ipse in territorio ecclesiastico, sede vacante, et Capitulo metropolitano aut cathedrali temporalia, tutorio adeo nomine, administrante, aut generatim statu imperii minorene, aliove modo impedito, et regimine territoriali per tutorem regentem, adeo-

1) Praesumptio haec in Capitular. noviss. Art. 19. §. 7. verbis: in Sachen, da Landstände, Unterthanen, oder inden Reichsstädten die Bürger oder deren Ausschüsse wider ihre Obrigkeit Klage führen etc., pro magistratu civitatum imperialium aequae, ac pro aliis imperii statibus, confirmata est.

que alieno adhuc nomine, administrato, exceptis casibus, in quibus, durante tutela, secundum sanctiones juris communis, decreto de alienando opus est, majorem potestatem et amplio-rem inspectionem supremam, ac quae sede plena, aut statu imperii in regimine territorii non impedito, ipsi competit, sibi non vindicet m), adeoque et illa in civitatibus imperii, per magistratum administratis, multo magis neganda sit.

Nec obstat *secundo* civitates imperii olim immediate ab imperatore gubernatas fuisse, cum jus publicum mediæ ævi fons hodierni non amplius sit, pristinoque imperatoris regimini legibus fundamentalibus recentioribus dudum derogatum fuerit.

Denique ambitum limitesque inspectionis supremæ caesareæ in singula imperii territoria, sive illa sint territoria statuum superiorum, sive civitates aliaque ditiones immediate imperii, exercendæ, exacte definire, scriptiunculæ hujus academicæ limites prohibent n). Interim thesis proposita ad singulares casus facile applicari potest, si nimirum agitur de jure suffragii in diætiis tam universalibus, quam particularibus imperii exercendo, si de condendis statutis, re-

m) In conclusio notissimo judicii imperialis aulici d. d. 28. Aug. 1731. necessitas confirmationis caesareæ tantum ratione statutorum capitularium decreta est.

n) Ex rectoribus juris publici germanici principiis tum tantum locum habet, quædam regimen territoriale, legitime constitutum, deficit, aut officio suo deest. Quænam ad legitimam constitutionem ejus requirantur hic et nunc

que judiciaria civitatis, si de jure politiae, collectandi, oeconomico, de immutatione et reformatione formae fundamentalis civitatis, pactitia, aliisque sermo sit. Nimirum

Jus suffragii in diactis imperii exercendum ab imperatore profus non dependet, estque potius jus imperatoriae potestati oppositum; imperatoris ergo non interest, siue civitas mittat proprium deputatum, siue votum alteri committat; siue hoc vel alio modo eum instruat, cum hoc modo magistratus juri suffragii non renuntiet, aut illud, in praedictum urbis, restringat o). De jure Advocatiae imperatoriae hic plane non quaeritur.

Quodsi magistratus officio suo in condendis *legibus* promovendae saluti publicae necessariis, aut iis, ob manifestam

ex jure publico particulari de concursu statuum provincialium e.g. in tutela ordinanda, generatim vero ex principiis juris communis v. c. de tutela aut cura danda vel data confirmanda, constat. Discussa sunt haec principia in variis scriptis de regimine territoriorum, quae regi magnae Britanniae, seu statui imperii, parent, ab initio anni 1789. et durante morbo regis administrando, in lucem emissis. Conf. Klüberi Fortsetzung und Ergänzung der Pütterischen Litteratur des teutsch. St.R. §. 1557 b. Add. Reufs Staatskanzley 19. Th. 1. Abschn.

o) Häberlins Handbuch des teutschen St.R. 2. B. pag. 124. Malblank a. a. O. pag. 203. Conclusum d. d. 13. Maii, 1707. a folis collegiis imperii superioribus, quorum ratione juris suffragii et consensus comitialis omnium imperii statuum magis intererat, sine ratificatione caesarea, factum est, et illa, quae comes de Hartig anno 1780. civitatibus circuli suevici, nomine imperatoris, proposuit, argumenta optimae Josephi II. voluntatis fuerunt.

boni publici rationem, abrogandis, riteque *formandis judiciis* deest, imperatori suprema inspectio, et adeo potestas suppletoria eo minus negari potest, ac ipsi in aliis quoque territoriis, si ubi casus hic emerferit, deneganda non est. Idem de ordinanda civitatis *politia* est tenendum.

Quoad *collectas*, inprimis de indictione earum, quae tam ex legibus imperii, quam ex statutis et observantia urbis *necessariae* sunt, itidem de imperatoria inspectione quaeri plane nequit p). Ratione *voluntariarum* vero non video, quoniam ex fundamento in casu, quo magistratus major, aut collegia civium, jure, reliquos, ad instar statuum provincialium in aliis territoriis, repraesentandi munita consentiunt, imperatori adhuc jus inspiciendi, ideoque confirmandi vel cassandi tribui possit. Idem de *modo contribuendi* valet. Profecto in aliis territoriis etiam in indicendis collectis voluntariis, determinandoque contribuendi modo in comitiis tantum provincialibus, seclusa omni imperatoris auctoritate, principem inter et status tractatur, transigitur, convenitur. De abusus queri sine dubio possunt ii, quorum interest; at medela ad abusus restringenda est, caeterum vero abusus in antecessum praesumendi non sunt.

Intuitu *oekonomici* majorem imperatori in urbibus imperii, ac in aliis territoriis, esse potestatem, ex regulis jam su-

p) De tributis annuis, hic et nunc imperatori adhuc solvendis, hic sermo non est.

praepositis patet; ast ultra has, *ex officio*, extendenda non est; gravamina tamen civium, servatis servandis, in via juris, imperatoria auctoritate, et audienda et decidenda sunt. q)

Pacta inter magistratum ac cives *de forma* civitatis regimen ejusdem unice concernunt, imperatorique, ceu Capiti imperii, in civitatibus immediatis aequae ac in aliis territoriis, ratione principis et statuum provincialium, perinde esse potest, sive magistratus minor, sive major plus auctoritate aut concursu polleat. Saltim, quod boni publici causa ita pactum, bonumque publicum revera hoc modo promotum sit, in regula praesumendum est. Secus si praesumptionem veritati cedere pateat, aut gravamina desuper offerantur, quae audienda, quorum causa vero cives non statim male audiendi sunt. Certe ipsa Capitulatio imperatori prohibet exercitium reservati cujusdam in praesudicium superioritatis territorialis contra leges imperii et *legitima pacta*, quin hic alios status inter ac civitates imperii discrimen statuatur; quid? quod clausulam pro conservandis earum formis statim subjungat.

Denique *electio singulorum Senatorum*, si non ceu formae contraria impugnatur, confirmatione caesarea non indiget, cum singuli civitatem non regant; a *constituto* corpore seligantur, pro cuius sic dicta legalitate praesumendum est: id,

q) De rationibus civitatum imperialium Caesari reddendis agit quoque S. Stryck. in usu mod. Pand. lib. 50. tit. 3. §. 15.

quod jus canonicum de electionibus ecclesiasticis confirmandis ex hierarchiae principiis statuit, hic in applicationem non veniat, et imperatori nequidem confirmatio electionum statuum ecclesiasticorum catholicorum aut evangelicorum, ex jure inspectionis in singula territoria, competat.

Caeterum de jure imperatoris, leges imperii promulgandi, et, secundum formam imperii exequendi, ideoque etiam ad territoria urbesque imperii, quodsi de legibus imperii *absolute praeceptivis aut prohibitivis* sermo est, rescribendi, et informationem de harum legum observantia exigendi, dubium esse nequit. Sic recentioribus temporibus Imperatores, conclusi imperii de tollendis officum abusibus anno 1731. conditi causa iustissime rescripserunt etc.

His tamen non obstantibus, cum specialis observantia jurium imperatoriorum in singulis quibusdam urbibus imperii peculiarem fontem constituere possit, monendum omnino est, hoc ex titulo, hic et nunc, imperatori majorem potestatem competere posse, ac, secundum generalia juris publici principia, statuere fas est; modo observantia legitimis requisitis instructa sit, actus nimirum non merae facultatis, sed opinione juris et necessitatis gesti sint, civitas cassationi, a consilio imperiali aulico, etiam in casu, quo imperatoris confirmatio necessaria non fuit, decretae, acquieverit, et sic porro r).

r) Pütteri instit. juris publ. §. 45. aliisque.

Id vero, quod ex re civitatis quandoque foret, si constitutum esset, non probat jus reapse constitutum s).

Jam ad rem ipsam. Indicenda nempe sunt solennia inauguralia clarissimi ac doctissimi summorum in jure honorum candidati, IOANN. DIEDERICI GRIESII, Hamburgensis.

Vitae suae rationem ipse sequentibus exposuit:

Ego Joannes Diedericus Gries natus sum Hamburgi die VII. Febr. MDCCLXXV. patre Francisco Laurentio Gries, reipublicae Hamburgensis senatore, matre vero Joanna Magdalena ex gente Funkia, quam cheu! jam mihi eripuit mors dura. Primis litterarum initiis doni imbutus, mox Lycaeum publicum, quod Joanneum vocant; adii, ibique usque ad annum aetatis decimum septimum ab optimis praeceptoribus eruditus sum. Tunc vero, negotiationi, quae Hamburgi floret, dedicatus, relinquere litteras mihi necesse erat. Vix autem triennio in hoc vitae genere peracto, invincibili quodam musarum amore abreptus, ad pristina redii sacramenta, duplicatoque ardore annos neglectos supplere studui.

Initio semestris hiberni MDCCXCV. Jenam petii, ibique tan jurisprudentiae, ill. Schnaubert et ill. Hufeland ducibus, quam philosophiae tunc ab ill. Fichte tra-

s) Nec formula homagii, imperatori a civitatibus imperii praefandi: als ihrem einigen natürlichen rechten Herrn.. getreu, gewehr, gewärtig und gehorsam zu seyn.. und alles das zu thun, was getreue und gehorsame Unterthanen Ihrer K. M. und deren Nachkommen als ihrem allergnädigsten natürlichen rechten Herrn schuldig und pflichtig zu thun sind, ab antiquo retenta, aliam interpretationem recipit, ac quae cum superioritate civitatum concilianda venit.

ditae, aliisque studiis, quae vitam collustrant atque ornant, operam dedi. Usque ad festum paschale MDCCXCIX in hac academia commemoratus sum, excepta tamen ultima horum annorum aestate, quam, ne in artium pulcrarum cognitione rudis manerem, Dresdae peregi; regalibus, quos haec metropolis continet, artium thesauris aequè delectatus atque instructus. Tunc vero academiam Goettingensem adii, ibique in iurisprudentia ill. Meister, ill. de Martens aliosque clarissimos hujus academiae Doctores praeceptores habui, archaeologicis ill. Heyne, physicis ill. Mayer praelectionibus interfui; nec denique inclyta, quae ibi eminet, bibliotheca uti oblitus sum.

Anno Goettingae peracto, summos in jure honores petiturus Jenam reversus sum; studiisque academicis absolutis, viris doctissimis, qui institutionibus praeceptisque suis ubique me instruxerunt, debitas grates persolvo.

Cum Candidatus Noller in examine cum eo instituto egregie steterit, tum textus ipsi praescriptos solide exponendo, tum etiam ad quaestiones propositas apte sciteque respondendo, atque exhibito hoc adquisitae ab ipso in jure scientiae non vulgari specimine Ordini nostro omni ex parte satisfecerit, non dubitavit is, candidato dignissimo summos in juribus honores ex more majorum ritumque consueto conferendos decernere. Id quod, dissertatione *de litterarum cambialium acceptatione*, proprio Marte ab eo scripta, publicoque eruditorum examini submissa, factum esse, facultatis meae nomine, publice hisce indicendi, officii mei ratio in praesentiarum a me exposulat. Dab. Jenae d. VIII. Aug. MDCCC.





KK 698

X 231 3770

Retw 17.8.00 ✓

VD 17





DE
CIVITATVM IMPERII IVRIBVS MI-
NORVM IVSTE RESTRINGENDIS

PRAEFATVR

ET

SOLENNIA INAUGVRALIA

CLARISSIMI ET DOCTISSIMI

IOANNIS DIEDERICI GRIESII
HAMBVRGENSIS

I N D I C I T

ANDREAS IOSEPHVS SCHNAVBERT, D.
P. T. ORDINIS IVRID. DECANVS.

IENAE,
EX OFFICINA FROMMANNI ET WESSELHOEFTII.
MDCCC.